

Franckesche Stiftungen zu Halle

Vaticinivm Christi De Vocatione Gentivm, hoc est: B. Io. Brentii, S. Theol. D. Sermo Sacer, Quem In Evangelivm Matth. VIII. Dom. III. Post Epiphan. ...

Brenz, Johannes

Halæ Magdeb., MDCCXXXV.

VD18 13427768

Dominica III. post Epiphania, Evangelium Matth. VIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200026



*Dominica III. post Epiphania,
Evangelium Matth. VIII.*

Cum autem descendisset de monte Sc.
Et sanatus est puer ejus in illa hora.

Aliud miraculum, quo CHRISTVS
sanavit leprosum. Et rursus aliud de curato
ægrotto, quibus duobus miraculis, ceu sigillo
cœlesti iterum CHRISTVS Evangelium suum
confirmavit. Sed audiamus prius de leproso.
Dicit igitur Matthæus:

*Ecce leprosus veniens, adorabat eum,
dicens: Domine, si vis, potes me mundare.*

Paucissima verba, sed maximè efficacia:
Hac enim oratione invitatus CHRISTVS, fa-
cit continuo leprosum voti sui compotem, &
verbo fugavit ab ipso lepram, qua toto corpo-
re infectus erat. Sequitur enim; Et exten-
dens manum tetigit, eum dicens: Volo,
mundus esto, & confestim lepra discessit ab
illo.

Quæres igitur, quid in hac oratione le-
prosi adeo magni sit, quod cogat CHRISTVM?
Respondeo: Fides, quam solam CHRISTVS

A

in

in oratione & requirit & respicit. Ad centurionem pro famulo suo precantem ait: Quemadmodum credis, ita fiat tibi: Ad cæcos orantes pro restitutione visus ait: Creditis me hoc posse facere? Et mox, juxta vestram fidem fiat vobis. Patri pro filio roganti, & dicenti; Age si quid potes, subveni malis misertus nostri, ait, illud si potes credere, omnia posibilia credenti.

Discamus igitur recte orare. Quia nulum est artificium, quod nobis utilius, ac magis necessarium sit, quam ut sciamus recte DEVM invocare. Nam cum DEVS irascitur, necesse habemus iram DEI oratione avertere. Cum affligit nos DEVS, avertendæ sunt afflictiones oratione. Cum in periculis comprehendimur, ad orationem velut ad sacram anchoram confugiendum est. Cum quid rerum necessariorum indigemus, oratione a DEO impetrandum est. Breviter, sola oratio est, quæ animum DEI ita expugnat, ut recte oranti nihil denegare possit. Invoca, inquit Dominus, in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me, & iterum; Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Tum autem recte seu in fide oramus, cum credimus primum, quod DEVS possit nos juvare & servare. Deinde, quod etiam velit nos juvare & servare. Conjuncta enim hæc esse necesse est. Neque enim potentia DEI sine voluntate
ejus

ejus, neque voluntas ejus sine potentia quicquam auxilii nobis afferret.

Porro Dominum DEVM nostrum potentem esse ad servandum nos, docemur e prima fidei nostræ parte, qua confitentes dicimus; Credo in DEVM Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Atque hic Articulus fidei, non solum multis autoritatibus sacre scripturæ, verum etiam magnis & stupendis miraculis confirmatus & obsignatus est.

Quodd autem etiam velit nos servare, docemur e secunda fidei nostræ parte, qua confitemur dicentes; Credo in JESVM CHRISTVM filium ejus unicum, Dominum nostrum &c. Hac enim missione Filii sui declaravit DEVS se animum paternum erga nos, & voluntatem servandi gerere in omnibus adversis: Sic enim, inquit CHRISTVS, DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit DEVS Filium suum in mundum, ut condemner mundum, sed ut servetur mundus per ipsum.

Orantes igitur necesse habemus credere, quod DEVS & possit & velit nos servare. Ex qua fide si oraverimus, profecto statim in nobis implebitur illud Esaiæ: Erit, antequam clament, & ego exaudiam, adhuc loquentibus illis ego audiam. Et illud CHRISTI:

A 2

Que-

Quæcunque orantes petitis, credite quod accipitis, & erunt vobis. Sed inquires; Sic non orat leprosus, quia dicit: Si vis, potes me mundare. Hoc non videtur ex fide orare; siquidem qui dicit: Si vis, utique de voluntate ejus dubitat, quem rogat? Respondeo:

Aliud est à DEO petere salutem generalem, aliud specialem: Generalem voco eam, quam DEVS promittit omnibus in ipsam per JESVM CHRISTVM credentibus, siue in vita siue in morte siue in corporis siue in animæ periculis. In hujus igitur generalis salutis petitione, haud quaquam licet, nec de potentia, nec de voluntate DEI dubitare. Est enim Dominus DEVS noster, non minus misericors ac voluntarius ad servandum, quam omnipotens. Et quidem servat suos, etsi nobis non videtur; Ita hac salute servavit Abelem, etiamsi non liberabat ipsum à gladio fratris sui, & à morte corporali. Hac salute servavit omnes Prophetas ab impiis occisos &c.

Specialem autem salutem voco, quam DEVS speciali quodam modo afflictis præstat, ut cum servat febricitantem, ne moriatur, sed ut convalescat &c. In hujus salutis petitione, ne tentemus DEVM, necessarium est, ut voluntatem nostram, divinæ voluntati resignemus, & subjiciamus.

Vnde cum leprosus hic, non generalem tantum salutem, sed etiam specialem peteret, videlicet, ut ab externa lepra liberaretur, &
non

non plane intelligeret, num ea liberatio ad gloriam DEI, & suam ipsius utilitatem cessura esset, subiicit magna fidei prudentia, voluntatem suam voluntati CHRISTI dicens:

Si vis, potes me mundare:
quasi diceret:

De potentia tua nihil diffido, sentio te verum Messiam, omnipotentem Filium DEI: Nec de ea voluntate dubito, qua vis omnes in te credentes perpetuo salvos facere. Sed quia ignoro, num hæc externa liberatio, quam peto, nomini tuo hoc tempore gloriosa, & mihi salutifera sit, non quod ego, sed quod tu vis, fiat. Sicut etiam CHRISTVS apud Lucam in monte oliveti orat dicens: Pater, si vis, transfer calicem hunc à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Sic docuit & nos orare; Fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra. Audiamus nunc, quid leprosus oratione sua tam fideli consecutus sit,

Extendens (inquit Lucas) IESVS manum teregit eum dicens: Volo, mundus esto.

Hoc verbum, quod dicit, Volo, non remere ipsi excidit, nec oscitanter à nobis observandum, sed tanquam pretiosissimum margaritum diligentissime custodiendum est. Hac enim voce aperit CHRISTVS latebras cordis sui, & recludit nobis recessum animi sui, ut per eam certissime conspiciamus, quod nihil aliud cupidius & ardentius velit ac desideret, quàm ut nos in nostris afflictionibus servet. At-

que adeo multo promptior ac alacrior fit, ad conferendam nobis salutem, quam nos ad petendam.

Quaquam igitur ad unum leprosum dictum fit. Volo, in uno tamen declaravit, quo fit animo erga omnes in ipsum confidentes, & nomen ejus in fide invocantes. Id Quod alias haud obscuris verbis significat, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Et iterum: Hac est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium & credit in Eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in novissimo die &c.

Sed admirabitur quispiam, quid sibi illud velit, quod sequitur.

Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret, sed vade, inquit, ostende te Sacerdotibus, & offer pro emundatione &c.

Quid ergo est, quod CHRISTVS leprosum tacere jusserit, num miracula DEI non sunt prædicanda? Redi, inquit alias, in domum tuam, & narra quæcunque tibi fecerit DEVS. Cur igitur hic prohibet, quod alias jubet? Respondeo: Factum est à CHRISTO non sine gravi consilio, fuit autem tale.

Impii calumniabantur miracula ejus, quod videlicet non vere sanaret homines, sed spectatoribus nebulas quasdam ob oculos offunderet, ut existimarent homines sanatos, qui tamen revera non essent sanati. Cum igitur CHRISTVS mundasset verbo suo hunc leprosum, &

revo-

revocaret in memoriam, quod impii calumniarentur sanationes suas, jubet leprosum tacere, eo consilio, ne si ipse hoc miraculum intempestive diuulgaret, & sacerdotes resciscerent, à CHRISTO factum, contra conscientiam calumniari possent (ut incredibili odio ardebant adversus CHRISTVM) leprosum non vere sanatum esse.

Jubet igitur eum tacere, & ad sacerdotes cum silentio recta ire, ut ibi mundus ordinario judicio sacerdotum declaretur, & sic ipsi, proprio testimonio convincantur, CHRISTVM non in phantasmate, sed vere sanare, siquidem ipsi pronunciaverint, hunc leprosum vere sanatum esse, & alii amplius non haberent, quod in sanatione calumniarentur, nisi palam velint publicum judicium sacerdotum damnare.

Porro autem, quod apud nos in dijudicanda lepra corporis sunt medici & chirurgici, hoc in politia Israelitica erant sacerdotes. Hi enim erant lege divina ordinati judices lepræ, ut quem juxta legem judicassent leprosum, is ab omnibus leprosus haberetur, & à contubernio reliquorum hominum seperaretur. Quem autem judicassent, à lepra mundum, is ab omnibus quoque mundus censeretur, & in consortia civilia admitteretur.

In Levitico cap. 13. ita scribitur: Homo, cui in cute carnis suæ fuerit pustula, vel scabies vel candor quasi plaga lepræ in carne ejus

A 4

futu-

futura sit, adducetur ad Aaron sacerdotem vel ad unumquemlibet filiorum ejus sacerdotum; Qui, cum viderit plagam in cute, & pilos in plaga in album mutatos colorem, ipsamque speciem plagæ humiliorem cute carnis reliqua, plaga lepræ est, & Sacerdos eum videns, immundum judicabit. Et cap. 14. Hæc est lex leprosi, quando immundus est, adducetur ad Sacerdotem &c.

Vides igitur quam ineptissime ad confirmandam confessionem auricularem detorserint Papistæ (*) hoc quod hic scribitur, CHRISTVM lepro-

(*) Præclara, quæ *Valentinus Trocedorffius*, Rector olim Scholæ Goltpergensis in Silesia haud procul a Bohemiæ finibus in Rosario suo Ecclesiæ de Ecclesia reliquit, verba merentur, ut hoc loco adscribantur, cum enim oraculum CHRISTI Joh. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*, cetera enarrant: „Hæ sententiæ, inter alia inquit plag. m. „G. 2. b. seqq. affirmant, Ecclesiam allegatam esse „ad verbum DEI, ad doctrinam traditam per „Prophetas, Christum & Apostolos. Ubicunque „ergo vides aut civitatem, aut pagum, in quo „sonat pura vox Evangelii, & verus usus Sacramentorum refinetur, ibi certo scias esse veram „Ecclesiam, & domum DEI sanctam, hæredes „vitæ æternæ, qui in omni æternitate DEVM „sunt celebraturi. Ad hunc cœtum te fide, invocatione, & confessione adjungas, ubicunque loco. „rum es. Excluduntur ergo ab Ecclesia, societate „populi DEI omnes, qui vocem Pastoris aut ignorant aut contemnunt: quales sunt Ethnici,

leprosum ad sacerdotem misisse. Ac scimus quidem, peccata nostra DEO sine intermissione confitenda, ministros Ecclesiæ in angustiis & afflictionibus conscientiae consulendos, & verbum Evangelii seu absolutionem ex ipsis audiendam esse, quemadmodum fideliter docemus. Sed quod ex hoc loco arguitur, Confessionem illam auricularem, divino jure institutam esse, nullam plane veri speciem habet. CHRISTVS enim non mittit leprosum ad sacerdotem, ut confiteatur ei peccata sua, quando ejusmodi confessio, quæ constat enumeratione omnium peccatorum secundum omnes

A 5

cir-

„Mahometistæ, Judæi & tota colluvies Pontificiæ factionis.

„Hæ sententiæ, ut dixi, quæ Ecclesiæ descriptionem continent, diligenter sunt considerandæ. Nam hæc est illa Helena, de qua semper in mundo fuerunt & erunt acerrimæ dimicationes. Multi hunc honorificum titulum Ecclesiæ sibi vendicarunt, ut jam Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus, Episcopis, & Concilio Tridentino affirmant se esse Ecclesiam, & jactant veram Ecclesiam allegatam ad decreta Pontificum & Conciliorum, & damnant tanquam *αἱρεσους, παλαμναις*, & *κατ' ἄρματα* omnes, qui dissentiunt ab illorum scitis, placitis atque traditionibus; & ad effigiem regni Politici fingunt & pingunt Ecclesiam esse eam, videlicet, cœtum hominum amplectentium Evangelium, in quo Pontifex Romanus sit Monarcha, huicque tribuunt au-

circumstantias coram sacerdote, non solum in lege, verum etiam in Ecclesia recens ab Apostolis plantata, prorsus ignota fuit; & nihil est nisi inventum satanæ, ad stabiliendam tyrannidem Papatus.

Deinde, videtur CHRISTVS hac leprosi ablegatione ad sacerdotem, respicere ad conservandam publicarum & civilium ordinacionum autoritatem.

Nam

„toritatem regiam & pratoriam interpretandi scri-
 „pturas, condendi leges, articulos fidei, traditiones;
 „tradunt omnes esse allegatos ad interpretationes,
 „ad leges & ad decreta Pontificum & Conciliorum.
 „Sed ne erremus, tenendum est *γνώρισμα* Ecclesiæ,
 „quod hic traditur. Est autem *γνώρισμα*, no-
 „ta, qua Ecclesia agnoscitur audire & ample-
 „cti vocem pastoris. Certissimum autem est se-
 „ctam Pontificiam non modo non audire vocem
 „CHRISTI pastoris, sed prorsus rejicere, da-
 „mnare atque execrari. Et quidem vocem pa-
 „storis rejiciunt multipliciter: de justificatione,
 „de cena Domini, de Sacramentis, de vera in-
 „vocatione, de usu ciborum atque aliarum re-
 „rum externarum, de conjugio, de pœ-
 „nitentia, de cultibus: In his septem partibus
 „Pontificii & Tridentinum Concilium *dis diæ*
 „*κασῶν* dissentiant a voce CHRISTI. Quare
 „nequaquam possunt esse vera Ecclesia, cum sint
 „oves, quæ manifeste idola defendunt, quod
 „manifestum est facere Pontificem Romanum cum
 „suo conciliabulo Tridentino. Hæc quidem de
 „Ecclesiæ descriptione. Hæc ille Candidus
 Evangelicæ veritatis Defensor,

Nam quemadmodum hoc tempore, quo Evangelion JESV CHRISTI divina clementia revelatum est, multi sunt, qui usurpant sibi libertatem Evangelii in licentiam carnis. Ita ex multis argumentis apparet, quod eo tempore, quo CHRISTVS inter Judæos Evangelion prædicavit, magna pars auditorum similiter fecerint, & magis licentiam carnis, quam pietatem Spiritus sectati sint. Atque alius quidem detrectabat prætextu libertatis solvere tributum Cæsari. Alius prætextu avaritiæ sacrificulorum, non solvebat sacerdotibus, quod debebat. Breviter, maxima eorum pars, qui CHRISTO adhærebant, existimabant sibi impunè licere, tam civiles, quam Ecclesiasticas ordinationes contemnere & violare.

Et tales multos extitisse, ipsa accusatio indicat, qua Pontifices CHRISTVM coram Pilato accusaverunt, dicentes: Hunc deprehendimus evertentem gentem & vetantem tributa dare Cæsari &c. Et mox, commovet populum &c. Scimus quidem has accusationes falsas esse, sed tamen argumento sunt, multos fuisse inter Auditores CHRISTI, qui sua licentia his accusationibus occasionem præbuerint, & eas verisimiles reddiderint.

Cum igitur CHRISTVS leprosum mundasset & meminisset multos, prætextu sanitatis ab ipso mirabiliter consecutæ, contemnere civiles ordinationes, & politicam legis Mosaicæ, sub